

XX





4

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
GENVINO FOETVS
IN VTERO MATERNO
SITV NATVRALI

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XXIX. APRILIS, A. S. R. CL. DCCCLVIII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GERHARDVS ALBERTVS HVFFELMANN

CAMENA-MARCANO-GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSERTATIO INAEQUALIS MEDICA
 DE
 GENIUM FORIS
 IN VTERO MATRIS
 SITV NATVRA LI
 SVB AVSPICIS SVMMI NVMINIS
 CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
 PRAESIDE
 VIRO ILLVSTRI, FACILLIMISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
 D. ANDREA ELIA BUCHNERO
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS
 POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS
 MEDICAE ET PHVSICAE NATVRAE PROFES. V. P. ORDINARIO
 IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIVSIVM TRAIENSIS
 ET COMITIS PALATINVS C. SARRAVI
 PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMO ET IN AERONA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
 DOCTORALIBVS RITE CONSENSV
 AD D. XXIX APRILIS, A. E. F. CLXXCVI
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 SVB REGNI AVCTORIS
 GERHARDVS ALBERTVS HAFELMANN
 CAMENA-MARCANO-GVNSTHAYVS
 HALAE MAGDEBVRG. LITTEAE HENDELIANAE.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
GENVINO FOETVS
IN VTERO MATERNO
SITV NATVRALI.

PROOEMIVM.



Medicinam a temporibus HIP-
POCRATIS ad nostra vsque
tempora insignes subiisse
mutationes, nemo certe, qui
primis saltem, vt aiunt, la-
bris historiam huius scienti-
ae degustarit, inficias ibit.
Clare enim hoc patescit, si partim illae Me-
dicinae partes, quae Theoriam eiusdem
constituunt, accuratius considerantur, par-
tim

tim quoque istae partes, quae ad Praxin pertinent, exactiori scrutinio subiiciuntur. Praecipue autem haec scientia, quae potissimum sanitatis praesentis conseruatione & amissae restitutione occupatur, longe aliam monstrauit faciem, postquam partim ab immortalis memoriae Anglo, HARVAEO, sanguinis progressius motus fuit detectus, partim etiam alii sagacioris ingenii viri non solum intimius accuratiusque corporis humani structuram, Anatomes ope, indagarunt, verum etiam leges corporum generales, quas Physica exhibet, conuenienter ad corpus humanum adplicarunt. Mirari idcirco haud licet, quod in scriptis recentiorum Medicorum varia occurrant, de quibus apud antiquiores, si illorum euoluimus opera, vel altum est silentium, vel pauca saltem admodumque obscure proposita extant.

Quaquam vero nostris hisce temporibus Medicina multum a pristino suo statu sit mutata, & sub perfectiori quadam forma compareat, ut hinc quoque optimo iure scientiae nomen iam tueri queat, minime tamen negandum est, complura adhuc in ea
super-

superesse, quae nobis eodem fere modo, sicuti antiquioribus, obscura manent, ut hinc omnino ferae, quae est futura, posteritati multa in hac scientia adhuc sint relicta, in quibus ingenii acumen, quod natura fau- trix ipsis impertiet, possit exercere. Sic enim, si ad Anatomiam respicimus, licet ea tanta ultimo hoc seculo exulta fuerit industria, quantam antecessores nostri omnes in prioribus seculis, ob aliorum subsidiorum defectum, adhibere haud potuerunt, varia tamen adhuc superesse deprehendimus, tam quoad intimiorem structuram, quam specialem usum diuersarum partium, v.g. thymi, renum succenturiatorum, &c. exactius indagandum, quae posterorum forte studium adhuc manifestabit. Quibus exemplis inferi quoque oportet generationis humanae historiam: quae, ut olim variis incertis atque intricatis hypothesibus obscurata potius, quam illustrata erat; ita hodie quoque, maxima sui parte, plurimis diuersis, partim obscuris neque veri similibus, partim plane ridiculis vanisque opinionibus deprehenditur inuoluta. Quibus ex disputatis luculentissime intelligi potest,

tantum omnino abesse, vt salutaris ars nostra in summo constituta sit fastigio, ut potius, quae in eadem ignorantur, aut saltem obscure atque imperfecte perspiciuntur, non pauca adhuc supersint.

Proinde, quum eos, qui in Medicorum castris non inhoneste militare volunt, in illud potissimum omnes oporteat intendere nervos, quo, ipsorum opera atque studio, tam, quae magna adhuc obscuritate circumuoluta latent, clariora & euidentiora reddantur, quam, quae prorsus adhuc incognita nec dum detecta sunt, inuestigentur atque eruantur: mihi quoque, Specimen inaugurale medicum publice proposituro, id dari operae atque negotii arbitratus sum, vt eiusmodi seligerem argumentum, in quo pertractando elaborandoque offendam quaedam nondum satis eruta atque illustrata, quorum accuratori declaratione obscurae generationis historiae lucis quantulumcunque adfundatur. Atqui haec intuitus, de *genuino foetus in utero matris situ* disserere mecum constitui: non sine grauibus argumentis ratus, plurima hic superesse implicata, in quibus enodandis vires

res meas ceteroquin infirmas periclitari possim. Ceterum summum Numen oro rogoque, velit & his quantuliscunque conatibus benignissime adspirare, vt non solum in ipsius gloriam honoremque, sed in aliorum quoque vtilitatem & emolumentum prolixè succedant.



§. I.

Genuinum foetus in vtero materno situm demonstraturos statim in dicendi initio ex Physiologorum doctrinis repetere oportet quaedam, ad perfectam *conceptionis* atque *generationis* notitiam spectantia, anteaquam de hac materia nostra certi aliquid constitui potest atque definiri.

§. II.

At enim vero, si de generatione humana Physiologos audias disputantes, aut eorundem scripta euoluas, maximam omnino & paene incredibilem dogmatum, quibus haec doctrina definitur, inconuenientiam deprehendes. Quod si tamen tot tamque diuersas opiniones componere velis, in eo videbis consentire omnes, quod *generatio* eiusmodi sit *actus naturalis*, quo *minimum quoddam organicum corpusculum*, in *exilissimis quibusdam staminibus praëxistens*, vt vulgo dicitur, *nutritione euoluitur produ-*

§ De genuino Foetus in utero materno

produciturque. Porro quotidiana luculentissime docuit docerque experientia, *primo* semper duo homines, eosdemque diuersis genitalibus partibus instructos, harumque intuitu alterum maris, alterum feminae nomine insignitos, necessario ad absolvendam generationem requiri; *secundo* ad eandem, ex parte masculi foecundum semen, ex feminae vero parte conveniens & bene constitutum ovulum perpetuo exposci.

§. III.

Quanam autem notione virile semen complectantur, & quibusnam proprietatibus eiusdem foecunditatem circumscribant Physiologi, in praesentia non disputabimus; quandoquidem parum ad institutum interest nostrum. At de *ovulo materno* pauca quaedam differere nos iubet eiusdem huius propositi nostri ratio atque natura: quo officio protinus defungemur.

§. IV.

Scilicet *muliebri ovulum* (§. II.), quemadmodum accuratis Anatomicorum dissectionibus constitit, ex capsula componitur membranacea, humorem lymphaticum tenuissimum complexa: in quo, si veri simillimam sequamur hypothesin, quicquid contra disputent Leeuwenhoeckiani, integra, licet maxime exigua, & vel ipsi oculo acerrime armato se subducentia, corporis organica latent rudimenta. Cuiusmodi ovulum commodissime in duas diuidi potest partes: quarum alteram *calicem*, alteram *corpus* Anatomici nominare solent. Quippe tenuior ovuli pars, cui *calici* nomen est, ovulum cum ovario,

ovario, velut vinculum, colligat connectitque, & ex vasculis potissimum constat aduehentibus revehenti-
busque: *corpus* vero crassiolem dicimus ovuli par-
tem, libere fluctuantem, neque cum ipsa ovarii basi
immediate, quod vulgo vocant, cohaerentem.

§. V.

Enimvero si quaesieris, vbinam in feminino corpore huiusmodi ovula, secundum consuetum naturae statum ordinemque, sint sita, maximas in definiendo hoc loco Auctorum medicorum animaduertes contentiones dissensionesque. Alios enim videas in sententiam ire NABOTHI a), proprium & quasi natalem locum ipsis hisce ovulis attribuentis intra ipsum *uterum*, & singulariter circa eius internum orificium atque cervicem: quo quippe loco insignem innumerabilium eiusmodi ovulorum racemum inueniri arbitrantur. Contra vero sentiunt alii, vehementerque contendunt, quod vera ovula innata sint atque insita *ouariis* vulgo sic dictis: quae duo sunt corpuscula ovalia, albicantia, subplana atque longiuscula, vtrinque ad fundi vterini latus collocata, ex materia confata & composita plurimum spongiosa maxime stricta; quibus complures exigui globuli, siue vesiculae admodum pellucidae, insident, quae iam apud antiquiores Medicos *ovulorum* nomen tulerunt b). Iacent autem haec ovaria transuersè in ligamentorum vteri laterum, quam Anatomici dicunt, duplicatura.

B

§. VI.

- a) Vid. eiusd. Dissert. de Sterilitate mulierum, quae reperitur in Vol. V. Dissert. anatom. Illustr. Dn. de HALLER.
b) WINSLOW *Essais anatomique*, Tom. IV. §. 605.

§. VI.

Vtriusque autem huius sententiae (§. V.) assertores si audiamus disputantes, easque, quibus hypothesein suam defendere conantur, rationes, nullis praecudicatis opinionibus occaecati, accurate expendamus, diffiteri non possumus, posteriorem sententiam priori ad veritatem esse propensiozem. Cuius verisimilitudinis sequentia habemus argumenta. *Primo* nimirum exquisitum virorum, in re anatomica exercitatissimorum aequae ac accuratissimorum, examen, cui fidem derogare nefas foret, locupletissime docuit, illa ipsa ovula, quae inuentoris, clarissimi NABOTHI, nomen ferunt, nevtiquam genuinorum ovulorum numero inferi, sed potius inter vasorum lymphaticorum tumores, quos in scholis medicis *hydatides* vulgo dicunt, numerari oportere. *Deinde* eadem haec ovula Nabothiana, licet in plurimis feminis offendantur, in multis tamen, vel foecundissimis, aut prorsus non, aut saltem exiguo atque parciore numero existant; vti ante memoratae obseruationes anatomicae saepenumero sunt testatae c). *Tum* sub ipso partu haec ipsa NABOTHI ovula perquam facillime a foetu, ceruicem atque orificium uteri internum transeunte, laedi, comprimi, atque collidi possunt; vt adeo noua quaedam futura conceptio prorsus intercipiatur. Quod tamen experientiae nequaquam respondet. *Denique* & hoc accedit, quod, quae vulgo dictis ovariis insident, ovula

c) Videfis Iosephi LIEVTAUD *Elementa Physilogiae*, p. 228. Edit. Amstelod. 1749.

ovula tum prorsus inutilia atque superuacanea sint existimanda.

§. VII.

Ad oriundum ergo novum hominem (§. II.) necessario interest, ut ex ante expositis ovulis femininis unum vel plura (§. V.), quod, si gemelli concipiuntur, fieri existimamus (§. II.), foecundentur. Atqui foecundatum dicitur ovulum, si illud idem vitalitatem incipit inchoatque suam, ut ita loqui liceat; hoc est, si primus ipsi isque vitalis imprimatur motus, ita deinde continuo pergens, ut prima futuri hominis stamina, siue ab ipsa omnium rerum creatione in ovulo delituerint, siue postero tempore in illud illata, indies magis magisque euoluantur, atque hac ratione singula homuncionis membra sensim formentur atque elaborentur. Ex his quoque sequitur, ut ovulum vere foecundatum embryonem in se complectatur.

§. VIII.

Hanc autem ovuli feminini foecundationem (§. VII.) naturaliter ope coitus, siue congressus, fieri, quotidiana docent experimenta, dumque sub hoc actu aptus ad generationem mas semen partim in vaginam, partim quoque in ipsam uteri cauitatem eiaculat, haud obscure exinde intelligi potest, ad absoluendam ovuli materni foecunditatem semper necessarioque virile semen perfectum atque prolificum requiri. Neque alium coitum dici oportet foecundum, nisi qui vnus vel plurium ovulorum foecundationem (§. cit.) effecit.

§. IX.

Tameſſi autem extra omnem poſitum eſt diſputationem, coitu parario ovulum femininum reddi foecundatum (§. VIII.): in explicanda tamen ratione, quomodo ſolus coitus id praeflare atque effecere poſſit, maxima inter Auctores medicos opinionum eſt diſiunctio. Alii enim hoc, quicquid eſt, negotii ita perfici exiſtimant, vt, quae ſemini virili prolifico ineſſe ipſi adſerunt, *animalculorum ſpermaticorum*, vulgo ſic adpellatorum, vnum, vel plura, ex ſemine maſculino, in uteri cauitatem ſub coitu eiaculato, per tubam Fallopianam ad ovarium deferantur. Scilicet hanc ipſam viam eo expeditiorem commodioremque putant, quod ſub Veneris exercitio tubae hae Fallopianae, ob peculiarem, quam habent, fabricam rigefcere, adſurgere, atque adeo ovario ſe applicare, illudque ſimbriis ſuis complecti dicuntur. Delatum ergo hoc itinere ad ovula feminina vnum alterumue animalculum porro per externae, quae ovarium cingit, tunicae poros ultra procedere, ac ipſis denique ovulis ſe applicare & tandem illabi ferunt. Alii contra ea ex illorum ſtant ſententia, qui ſubtiliorem volatilemque feminis emiſſi partem, Phyſicis alias *ſeminalem auram* vulgo dictam, eo tempore, quo genitale mulieris arum ſemine maſculino conſpergitur, iisdem viis atque rationibus, quas modo de animalculis ſpermaticis expoſuimus, ad ovarium transmitti, & vni pluribusue ovulis ibi deliteſcentibus infundi exiſtimant, & hinc primum vitalitatis motum in iisdem excitari adfirmant. Vtra vero binarum harum

rum

rum hypotheseum propior sit vero, haud difficulter expediri potest, si modo singulas res circumstantes, quae in generationis negotio concurrunt, cum exquisitissima aequissimaque rationis lance aestimemus. Tum enim posteriori sententiae, ut verissimilimae, adhaerebimus, inducti insuper grauissimis atque subtilissimis argumentis, in quibus huius hypotheseos firmamentum collocauit optime de nobis meritis Praeceptor quondam noster, illustris HAMBERGERVS d).

§. X.

Concepisse dicimus feminam, si in ipsa vnum vel plura ovula (§. IV. IX.) sunt foecundata (§. VIII.). *Conceptionem ergo exorsu vitalitatis in ovulo quodam feminino* definiemus (§. VII.).

§. XI.

Ex his autem haecenus (§. VIII-X.) disputatis simplici atque naturali consecutione efficitur, ut *primo* conceptionem sine coitu praegresso naturaliter fieri posse negemus; *tum* eandem semper duo diuersi sexus homines requirere adfirmemus; *porro* primarium sientis conceptionis locum, non, ut eruditorum nonnulli somniant, ipsum vterum, sed potius ouarium statuamus; & *tandem* eiusmodi feminam concipiendae soboli prorsus ineptam inidoneamque esse contendamus, quae aut ouaria habet scirrhusa, aut tubas Fallopianas obstructas, vel ita relaxatas & quasi paralyticas, ut, dum Venus feruet, & virile iniicitur semen, adfurgere atque rigescere nequeant.

B 3

§. XII.

d) Conf. *Eiusdem Physiologia medica*, §. MCCCCLXVI. seqq.

§. XII.

Noli autem exspectare a nobis, ut ipsum illud temporis punctum, quo conceptio fit, accurate absoluteque definiamus: quandoquidem idoneae, a quibus obscurae huic rei lucis aliquid adfundi posset, desunt observationes. Verumtamen haud remote a vero aberrare nobis videmur, si non nimis longe a coitu conceptionem absolui adfirmemus. Variæ enim VERHEYENII, GRAAFFII, VALISNERII, aliorumque celeberrimorum & in re anatomica versatissimorum virorum observationes, in dissectionis huiusmodi cadaveribus femininis institutæ captæque, tubas Fallopianas mox post congressum absolutum rigidas & ouariis quasi applicatas & circumuolutas demonstrarunt. Saltem hinc constare nobis poterit via, qua ea feminis virilis pars, quæ ovulo vitalem motum imprimit, adeoque conceptionem perficit, ad ovarium, quippe primarium conceptionis locum (§. XI.), defertur.

§. XIII.

Simulac itaque embryonis stamina, quæ cuiusvis ovulo in ovario insunt, per adfusam seminis masculini foecundiosem partem vitalitate sunt donata, eadem, ob turgescentes tunc temporis humores, crescere incipiunt. Quippe hinc vascula minima expanduntur, propiorque adeo partium fit adpositio, ipsumque, quod exinde sequitur, incrementum. At enim vero inde porro necessario efficitur, ut ipsum illud ovulum, in quo conceptio contigit, etiam incrementa capiat, hoc est, ut minimus qui in ovulo

ovulo latitat, & quasi sepultus iacet, embryo ulterius evoluetur atque formetur. Sunt enim ex Medicis, atque ex his, nisi fallimur, primus STURMIVS e), qui *conceptionis* atque *formationis* notionem distinguunt. Huiusmodi ergo ovulum, dictis modis crescens, sensim magis magisque expanditur, tandemque, ut nonnulli naturae arcanorum scrutatores existimant, in papillae formam adfurgit. Vnde fieri non potest, quin exterior, quae ovarium ambit, tunica, eo inprimis, qui impraegnatum tangit tegitque ovulum, loco, indes magis magisque expandatur atque extenuetur, donec ipsa, tandem sub quotidianis maioribus ovuli foecundi incrementis disrupta, ovulum in Fallopianam dimittat tubam tunc temporis rigidam & ovario adplicatam; quoniam orta a tunicae, ovarium circumdantis, expansione & attenuatione irritatio maiorem sanguinis spirituumque, quos Medici dicunt, animalium versus has partes adfluxum inuitavit.

§. XIV.

At eodem hoc tempore, quo circumiecta ovario tunica perrumpitur (§. XIII.), ibidem, ubi perfusum vitalitate ovulum latet, calix quoque eiusdem (§. IV.) ab ovario separatur: qua ratione ergo totum ovulum inde secedit, quod protinus turgidula, rigida, & ovario propius admota tuba Fallopiana (§. XIII.) simbriis suis amplectitur, atque in suam recipit cauitatem. Atqui haec est embryonis, in ovulo

e) Conf. eiusdem Dissert. de Plantarum animaliumque generatione.

16 *De genuinis Foetus in utero materno*

ovulo feminino latantis, ex ovario in tubam Fallo-
pianam migratio.

§. XV.

Tantum vero abest, ut statim a facta conce-
ptione foecundatum ovulum hoc itinere defunga-
tur (§. XII. XIV.): ut potius eidem expediendo ali-
quot post conceptionem dies sint destinati; quem-
admodum varia atque multiplicia, quae in brutis
nonnulli sollertes in inuestiganda natura viri *f*)
ceperunt, experimenta satis similiter veri ostende-
runt.

§. XVI.

Hinc autem, si naturae omnia convenienter
eveniunt, & quo de statu hic differimus, ex tuba
Fallopiana ad ipsum uterum defertur ovulum, em-
bryonem complectens, hac in sede porro maximas
mirabilesque mutationes subiturum. Rariora enim
& exitu funesto plerumque illaetabilia sunt exem-
pla, quae de *conceptione*, quam dicunt, *tubaria*, siue
perfecta foetus in tuba quadam Fallopiana forma-
tione apud observationum anatomicarum scripto-
res consignata exstant.

§. XVII.

Atqui comprehensus hoc ovulo, ad uterum
delato (§. XVI.), foetus ovum paene sistit membra-
nacum, integram fere absoluens peripheriam, si
istam, qua funiculus umbilicalis immittitur, dem-
feris partem. Cuius ovuli interiorem membranam
annion appellant Medici, quae, licet pellucida at-
que

f) Videatur, verbi causa, *HAMBERGERI Physilog. cit. p. 763.*

que tenuis adpareat, satis tamen firma deprehenditur atque robusta. Altera, quae cum hac exterius per cellulosam telam connectitur, & eadem longe robustior crassiorque est, *chorion* audit. Immo hoc inuolucrum externum in ista superficie, quae vteri cauum respicit, villosum est atque flocculentum, & innumera, quae habet, filamenta mox in fasciculos, cum maiores, tum minores, collecta sistit, mox in integram fere dispersita atque contexta ostendit membranam; cui ideo recentiores *filamentosae* nomen indiderunt. Quae, quo propior sit placenta, eo crassior euadit, ipsamque demum subit placenta; sicuti anatomia luculenter testatur. Hanc ergo filamentosam membranam merito vinculi loco haberi oportet, quod cum vtero ovulum colligat atque connectit.

§. XVIII.

Tum vero membranaceum hoc ovulum (§. XVII.), ex quo vteri cauitatem est ingressum, protinus, ope vasculorum calicis (§. IV.) ob disruptionem ab ovario sauciatorum, absorbere incipit liquorem, ab arterioliis vteri exhalantibus in ipsius cauitatem deploratum. Atqui hinc porro fit, ut ipsius embryonis, ovulo inclusi, vascula magis ampliusque distendantur atque dilatentur: qua ex dilatatione commodior copiosiorque minimarum particularum ad dilatata vascula adpositio, hoc est, nutritio sequitur; uti ex Physiologorum commentariis amplius luculentiusque constare potest. His igitur ex disputatis probabilitati haud videtur contrarium, si existimemus, quod foecundatum ovulum, simulac

C

vtero

utero ipsi illapsus est, ex subtilissimo illo arteriolarum uterinarum liquore primum accipiat nutrimentum. At enim vero, quoniam in naturali constitutione liquoris huius copia longe minor parciorque est, quam ut tantum materiae nutritiae offerre possit, quantum ad iustum decensque incrementum debitamque nutritionem ovuli foecundati per uniuersum illud tempus, quo uterus ovulo datus est sedes, sufficere queat: necesse omnino erat, ut alia ratione satis acciperet nutrimenti. Quando vero deinde cum ipsa matrice vasculisque eiusdem, in interternam superficiem desinentibus, ovulum hoc membranaceum coit atque concresecit, perpetuo adfluxu exinde tantam humorum copiam accipit, quanta ad incrementum ovuli embryonisque inclusi requiritur iusto tempore modoque absoluendum.

§. XIX.

Hinc quaesitum est, atque nunc etiam inter Medicos in quaestione esse solet, *primo*, quibus modis haec ovuli membranacei cum matrice concretio contingat? *secundo*, quonam tempore haec fiat? Quam utramque ancipitem quaestionem pro viribus pertractare conabimur.

§. XX.

Primam nimirum *quaestionem* (§. XIX.) sequenti ratione optime expediri posse arbitramur. Ante omnia, per Physiologorum praecepta, statuere nos oportet, quod nulla foret ovuli membranacei cum utero connexio atque coniunctio, nisi vascula minima foetus cum vasculis matris uterinis adhaere-

haereant, coëant, & iisdem, vt Medici loquuntur, inosculentur. Non alia enim ratione humorum conceperis circuitum, quo solo parario ovuli in vtero nutritionem nouimus absolui. Hanc autem ipsam vasculorum foetus cum vasculis vterinis commissionem atque inosulationem hoc modo fieri existimamus. Dum per tubam Fallopianam ad vterum defertur ovulum membranaceum (§. XV. XVI.), vniuersum, quaqua patet, vteri cavum, quippe eo tempore adhuc fatis exiguum, perfecte fere adimplet: vnde fieri non potest non, vt extrema calicis ovuli pars (§. IV.), quae, ob factam ab ovario fecesionem, vasa disrupta, adeoque etiam vulnerata atque patula habet, facillime flocculos vteri vasculos, in interna illius superficie reperiundos, exhalantes aequae, ac resorbentes, immediate, quod dicunt, contingat. Ex quo contactu, per Physicorum principia, cohaesio, & inde perfecta demum ovuli cum vtero concretio fiat, necesse est.

§. XXI.

Alterius vero, quam supra proposuimus (§. XIX.), *gaestionis* pondus ipsimet non excipiemus, quod instituti nostri non adeo refert: sed paucis sextum demum a conceptione diem tanquam terminum concretescentis cum vtero ovuli constituimus, argumentis innixi *Hambergerianis* g), veri saltem similitudinem huic conciliantibus adsero.

§. XXII.

Sed dum hisce quaestiunculis (§. XIX-XXI.)

C 2

extri-

g) Conferatur eiusdem *Physologia medica*, §. MCCCLXXIX.

extricandis occupamur, noua quaedam ponitur quaestio, de loco vteri follicita, in quo ovulum huiusmodi membranaceum cum vtero vere naturaliterque concrefcit. Vtrum enim in fundo vteri, an in ceruice eius, an alibi haec concretio accidat, disputari solet. Si quotidianae experientiae testimonio stare lubet, inficiari non possumus, in statu naturali ordinarioque ovulum cum ista vteri parte connecti coniungique, cui apud Anatomicos *fundi* nomen esse solet. Neque hoc sine rationibus fieri, frequentia probant. *Primo* enim ovuli calix (§. IV.), tanquam leuior pars, superiora, corpus vero ovuli, vt paullo grauior portio, inferiora petit; vnde facile intelligi potest, calici, prae ovulo, faciliorem cum vasculis vterini fundi contactum fore, quem vulgo diximus, immediatum. *Secundo* fundus vteri reliqua eiusdem parte copiosiora habet vascula; quae adeo & plura contactus puncta offerunt, & sufficientem quoque humorum nutritiorum copiam ovulo pollicentur. *Tertio* denique huc aliquid confert, quod fundus ea vteri sit pars, quae tubis media interponitur Fallopiianis, per quarum ostia primum matricem ovulum subit. Quamuis vero passim existent exempla, quae aliis quoque superficiem internam vterinae locis accrescere posse ovulum docuerunt: rariora tamen haec sunt, neque vnquam acciderunt, nisi vbi aut obliquus vteri situs, aut alia quaedam peculiaris vteri constitutio in causa fuit.

§. XXIII.

Facta ergo ovuli cum fundo matricis connectione

xione (§. XXII.), vniuersum ovulum sensim incrementa capere pergit. Atqui hoc augmento crescit quoque calix ovuli, hinc postremo illud efformans corpus, quod *placentam vterinam* Medici appellant. Haec autem corpus est vasculosum, spongiosum, rotundum, diametro dimidii circiter pedis, aut paullo maiore, circumscriptum, & ex plurimis lobulis, tela cellulosa tenui inter se iunctis, constans. Cuius placentae origines quod solummodo ad ovuli calicem, incremento auctum & amplificatum, sint referendae, vel exinde luculentissime patet, quoniam, si pluribus foetibus foecundus est vterus, istorum quilibet singulari suo & proprio includitur ovulo, & propriam quoque separatamque habet placentam, vel ab altera penitus seiunctam atque remotam, vel, vt, frequentioribus obstetriciam artem exercentium obseruationibus compertum est, cum altera placenta saltem connatam.

§. XXIV.

Proinde ovulum, in matrice haerens, indies maiora capit incrementa (§. XXI–XXIII.), & hinc etiam reliquis partibus, tam quibus includitur, quam quas ipsum illud circumdat, variae insignes accidunt mutationes. *Primo* enim vna cum ovulo ipse foetus quotidie increfcit. Nempe hic, suis circumuolutus membranis, ab initio summe exiguum habet corpusculum, nullis distinctis artubus notatum, ouale, & ab humana figura prorsus alienum, nisi quod grandissima vniuersae huius fabricae portio, caput, a reliqua rudi massa nonnihil possit inter-

nosci. Verum enim vero pedetentim hoc corpusculum increfcit, & paullatim lineamenta quasi euolvuntur partium huius humanae machinae; e quibus tandem primum omnium caput perficitur & distincte confpici potest, dum interea exeuntia e trunco tubercula vix vestigia futurorum artuum ostendunt. Inter haec autem *porro* liquoris amnii augetur copia, circumiectas simul embryoni tunicas magis expandens, spatiosioremq; adeo efficiens locum, vt quaquauefus libere se mouere tenellus embryo possit. A medio autem grauiditatis tempore, eoq; quod partui propius est, insigniter iterum imminuitur hic liquor *h)*, eo potissimum, vt verissimile videtur, sine, quo velut per gradus sensimq; denuo ad sui contractionem, & contenti simul foetus expulsionem vterus praeparatur. *Tertio* denique sub ante memorato ovuli incremento ipsius quoque matricis parietes magis magisque expandi oportet. Inde vero elongatur vterus, figuramq; consequitur ex oblonga rotundam atq; ouo similem; quandoquidem ipsum foecundatum ovulum totam vteri cavitatem exquisite implet, & in ipsam quoque angustiore illius partem adeo exporrigitur, vt, quantusquantus est, ovuli ambitus vtero vbiuis ope vasculorum relaxaeque cellulosae sit annexus *i)*.

§. XXV.

- h)* Videatur celeberrimus HAMBERGERVS *libr. citat.* §. MD.
i) Euolui hac de re imprimis meretur clarissimus NOORTWYCK in *Historia vteri humani grauidi*, Lugd. Batav. MDCCXLIII. emissi.

§. XXV.

Atqui nunc omnes lectores nostros ex hactenus disputatis (§. XXIV.) dilucide intelligere existimamus, caput embryonis eam esse partem, quae ceteris eiusdem partibus longe citius celeriusque increfcit. Cuius expeditionis celeriorisque incrementi necessitas haud vna ratione demonstrari potest. *Primum enim causam*, cur citiori capitis incremento opus erat, ipsum constituit cerebrum, caluariae cauo comprehensum. Nimirum hoc est illud organon, in quo subtilissimum fluidum nerveum, ad tenerrimi embryonis nutritionem maxime necessarium, secernitur atque elaboratur. Namque hic ipse tenuissimus liquor, vt in physiologicis locupletissime demonstratur, hanc praestantissimam dotem exinde habet, quoniam non solum reliquos corporis humani humores magis diluit atque resoluit, ad vascula minima permeanda satis fluxiles subtilesque reddit, sed etiam vitale cordis robur conseruat augetque, vt illius motus legitime succedat, adeoque quae inde dependet, humorum in canales minimos propulsio recte expediteque fiat. At his ipsis rationibus nutritionem absolui, nemo profecto negabit, qui nouit, humorum per vascula minima transitu horum fieri expansionem, & hinc etiam, per leges physicas, particularum adpositionem, hoc est, nutritionem. Quo capacior ergo est caluaria, eo maior quoque cerebri, totum caluariae cauum replentis, est quantitas atque amplitudo, & eo plures quoque, qui apud Medicos audiunt, spiritus animales in hoc organo non elaborari solum, sed fer-

cerni

cerni etiam atque cum sanguine commisceri possunt. *Alteram causam* constituit ipsa partus ratio. Ad felicem enim atque facilem embryonis ex utero egressum ante omnia requiritur definita atque sufficiens orificii uteri interni atque vaginae uterinae diductio & dilatatio; quam nihil aliud feliciter commodiusque efficit, ac ipse foetus, capite suo, quippe maximi voluminis parte, tantum dictas has partes diducens atque distendens, ut, si caput semel hic transierit, uniuersum reliquum corpusculum facillimo transitu succedat.

§. XXVI.

Embryonis ergo caput ista est corpusculi huius tenelli pars, quae, intuitu reliquarum, quibus foetus constat, partium, maximi est ponderis voluminisque (§. XXIV. XXV.). Atqui ex hac ipsa embryonis constitutione luculenter sequitur, ut, quoniam eo tempore cauitas uteri satis ampla est, solo liquore quodam, amnii nimirum, sicuti supra docuimus, repleta, caput foetus in hoc fluido semper versus locum uteri inferiorem, quem ceruicem appellant, tendat.

§. XXVII.

Expositis itaque nunc iis, quae praemittere nos oportebat tanquam fundamenta atque principia genuini situs embryonis, dum in utero latet, definiendi: nostra porro maxime interest, ut, quae ad institutae materiae pertractationem proxime attinent, quoad pro virium nostrarum imbecillitate poterimus, accurate euoluamus.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Dum foetus excluditur, hoc est, dum ipse fit *partus*, embryonem isto tempore certum quandam in utero *situm* habere oportet. Atque hic certus definitusque situs, quem, ut innumera & quotidiana docent exempla, foetus in statu naturali & ordinario seruat, ita est comparatus, ut foetus capite suo uteri interno orificio insistat, facie versus os sacrum versa, dorso abdomen matris respiciente, & pedibus denique uteri tangentibus fundum. Haec ergo, extremis foetus in utero degentis temporibus cognita, experimenta ancipitem Medicis obiecerunt quaestionem: totone illo tempore, quo in utero commoratur, foetus eiusmodi habeat situm, nec ne? Qua de re si varios auctores, qui in scriptis suis hoc problema attigerunt, euoluamus, diuersa sentientes inuenimus omnes, alios quidem eundem, quem diximus, situm adfirmantes, alios vero negantes. Agedum! ergo excutiamus omnes sententias, & dispiciamus, quaenam earum veritati summe sit consentanea? Quae ut concinno disputentur ordine, & clariora fiant lectoribus atque distinctiora, praecipuas & celebrationiores diuersorum Medicorum hoc de situ opiniones recensebimus antea strictim atque sub examen reuocabimus, quam nostram de eadem re sententiam adiungamus, idoneisque argumentis confirmemus.

§. XXIX.

Ex his ergo multiplicibus diuersisque opinionibus

D

nibus agmen ducat omnium vetustissima, ab antiquissimis iam defensa Medicis, ut GALENVS est testis. Cuius sententiae adsertores contendunt, quod ante septimum grauiditatis mensem foetus in utero quasi sedens haereat, ita, ut caput versus vteri fundum sit exporrectum, facies matris ventrem respiciat, natesque vna cum pedibus circa vteri orificium sint locatae; quod vero porro, absolutis sex grauiditatis mensibus, situm suum ita mutet foetus, ut priori plane oppositus contrariusque fiat, capite nimirum, ob praeualens pondus, deorsum tendente; & quod denique in hoc situ ad partum vsque tempus persistat. Mirum est, quam communi omnium consensu haec opinio, per satis longum temporis interuallum, fuerit approbata: adeo ut tanquam veritas, omni exceptione maior, viris etiam in obstetricandi arte exercitatissimis, verbi causa, MAVRICEAV, DEVENTERO, aliisque maxime imposuerit. Quid? quod falsa haec opinio aliam haud veriore peperit, qua adstruitur, quod septimo grauiditatis mense quaedam foetus in utero fiat inuersio. A qua sententia nec HIPPOCRATEM fuisse alienum, vel exinde constat, quod foetum septimo grauiditatis mense ab ipsa natura ad exitum quasi stimulari existimauit *k*). Neque haec qualislibet de inuersione foetus notio hodieque ex plerorumque animis excuti potuit atque eradicari.

§. XXX.

k) Confer. illius *Libr. de Partu septimestri*.

§. XXX.

Quo minus autem propositam hanc sententiam (§. XXIX.) veram aestimemus, plurima grauis-
sima, quae obstant, habemus argumenta. *Primum*
enim ipsa offert experientia, saepe numero contra-
rium testata. Attentiores enim accuratioresque
obseruatores animaduertunt, cum quod saepius
quarto quintoue grauiditatis mensē abortiui foetus
sint exclusi, quorum capita orificio vteri adhaese-
runt, pedes vero versus vteri fundum fuerunt con-
uersi; quemadmodum & ipse MAVRICEAV 1),
strenuus ceteroqui superioris sententiae vindex (§.
cit.), adfirmat: tum quod haud raro, iam sexto gra-
uiditatis mensē, embryonis caput orificio vteri in-
cumbat, vt etiam hoc tempore exquisitissime tactu
exploratorio cognosci possit *m*). *Alterum* vero,
quod huic sententiae aduersatur, argumentum ex
ipsa desumi potest ratione. Concedamus enim, pri-
mo secundoue post conceptionem mensē eundem,
quem ante commemorauimus (§. XXIX.), foetui
esse situm: nequaquam tamen exinde sequitur, vt
ad septimum vsque grauiditatis mensē in eodem
persistat. Quod si enim persisterit semper, causam
esse oportet quandam sufficientem efficacemque,
cur situm, quem semel habet, foetus mutare non
possit. Quam, si inuestigare velis, aut in ipso foe-
tu,

D 2

1) In Libro *Observationum*.m) Sicut testatur celeberrimus ROEDERER in *Elementis artis
obstetriciae*.

tu, aut in partibus eundem ambeuntibus, aut in utero, requirere debes. Enimvero facile est intellectui, in utero hanc causam quaeri non oportere, adeoque aut ad ipsum foetum, aut ad circumvolutas eidem partes esse deferendam. Neque vero in his postremis causam hanc latere, apertissime sequentia euincunt. Inuolucra enim foetus constituunt partim liquor amnii (§. XXIV.), partim binae membranae, amnion chorionque (§. XV.): vnde vel his, vel illi adiudicanda esset ratio situs embryonis in utero mutandi. Caue vero, ad membranas dictas hanc referas causam. Hae enim foetum non immediate & proxime tangunt, ut adeo eum in situ conferuent suo. Quin etiam, si hoc efficere possent membranae, idem embryonis situs post septimum octauumque mensem persisteret, quum in membranarum constitutione nulla tunc mutatio contingat. Forfan ergo alterum partium ambeuntium genus, liquor nempe amnii, in culpa erit. Neque hoc tenere adfirmari potest. Tantum enim abest, ut hic liquor, quem circumfluit, foetum in eodem situ retinere possit; ut potius ad eiusdem mutationem plurimum conferat. Post medium enim grauiditatis tempus dum liquoris amnii copia insigniter decrescitⁿ⁾, decrescit quoque ipsa vis, embryonis caput sustentans; vnde hoc naturali suo pondere eo magis proniusque ad inferiorem uteri partem ruere oportet. Si qua ergo mutandi embryonum situs in utero causa subest, in ipso foetu inuestiganda foret.

At

ⁿ⁾ Videtis *HAMBERGERVM lib. 5. loc. cit.*

At vero nec huic aliquid huiusmodi causae esse ad-
 scribendum, plurimae demonstrant rationes. *Pri-*
mo enim tunc temporis, quum foetus trium, qua-
 tuor, vel quinque mensium spacio in utero deliuit,
 partes ipsius nondum tantum roboris viriumque
 sunt consecutae, ut ipsum in eodem situ (§. XXIV.)
 commode decenterque conseruare possint. *Tum*
 in huius aetatis foetu animae facultates nondum ita
 sunt comparatae atque euolutae, ut illarum ope foe-
 tus hunc, in quo constitutus est, situm septimo cir-
 citer mense esse commutandum diiudicare possit.
Porro celere quoque & nimium prae reliquis parti-
 bus capitis incrementum (§. XXV. XXVI.) neuti-
 quam permittit, ut ad septimum vsque a concep-
 tione mensum idem embryonis permaneat situs (§.
 XXIX.). Quo plus enim incrementi, eo plus etiam
 ponderis in dies accipit caput, atque eo magis et-
 iam ad inferiorem uteri locum inclinat. *Tandem*
 ipsa quoque figura foetus, quam, suis inuolutus
 membranis, isto tempore habet, impedit, quo mi-
 nus eiusdem situm in utero ante sex absolutos men-
 ses immutabilem censeamus. Nempe hanc figu-
 ram foetus, ovulo suo inclusi, verbis describemus
 celeberrimi NOORTWYCKII, ita differentis o): *In-*
tra hoc foetus, liquori suo submersus, clunibus & pro-
xima humborum parte fundo uteri insidebat; inde con-
uexum dorsum dextro lateri obuertebatur; capite
uersus pectus incuruo: ita ut dorsum, ceruix, caput,
unum simul aequabilem arcum facerent. Auris dex-

D. 3 tra
 *) In Libro supra allegato, §. 18. pag. 14. seq.

tra antrorsum spectabat. Humerus dexter, oblique deorsum exporrectus, thoracis lateri adiacebat; flexura cubiti dextro hypochondrio aliquantulum innitebatur; inde cubitus oblique sursum diergebat; a quo manus transuersa retrorsum ibat, palma & expansis digitis frontem ac consinia verticis sustentatura. Femur dextrum perpendiculariter fere eminebat sursum; tibia ad angulum acutissimum deorsum flectebatur, adeo ut tota longitudine femur suum tangeret, pede rursus in superiora obliquo, planta sinistro lateri e directo fere obuersa. Brachii & cruris contactus nullus erat, quae ubi proxima, dimidio saltem digito transuerso ab inuicem &c. & in §. 20. Vidi, inquit, caput infantuli ita incuruatum, ut mentum pectus tangeret, oculi & os arcte clausi erant, humerus sinister (situ posterior) similiter fere locatus erat, ut de dextro diximus, nisi quod paulo magis supra latus adscenderet, cubitus in anteriora transuersus dorso suo prope carpum naso supponebatur; manus in pugnum contracta inter cubitum dextrum genamque desinebat &c. His ergo obseruatis Noortwyckianis declaratur, foetum in utero massam sistere sphaericam: qua figura fit, ut, quem primis mensibus habuit situm, eundem foetus usque ad sui exclusionem conferret.

§. XXXI.

Atqui haec eadem disputata (§. XXX.) abunde satis declarant, quae de vulgo commemorata foetus in utero inuersione, circa septimum mensem

fem accidente, sentiamus. Mera enim haec sunt somnia, illis reliquenda mulierculis, quae ex obstetricia arte quaestum faciunt; ut habeant fabulas, quibus grauidas mulieres aliosque eiusdem comatis homines ducant delectentue.

§. XXXII.

Sed progredimur ad *aliam* de situ foetus, utero inclusi, opinionem, quae non minus, ac prior, suos naeta est patronos vindices. Scilicet hi foetum fingunt, ad partus vsque tempus velut immobilem sedentem, capite ad uteri fundum eleuato, facie matris abdomen respiciente, natibus vero vna cum pedibus ad uteri orificium collocatis. Enimvero, quam falsa sint haec omnia, his ex argumentis locupietissimis haud difficulter intelligi potest. *Primo* enim prorsus contrarii sunt hi auctores experientiae, frequentibus, ne dicam omnibus, observationibus confirmatae, distincte docenti, quod iam exeunte sexto grauiditatis mense, si naturaliter omnia accidant, caput embryonis, uteri orificio innixum, exploranti digito occurrat. *Secundo* etiam merito consideranda sunt insigne liquoris amnii decrementum, dilatatio orificii uterini interni, circa vltimos inprimis menses maxime notabilis, figura foetus in utero (§. XXX.), & continuuum denique capitis foetus incrementum: quippe quae omnia luculento sunt testimonio, fieri plane non posse, ut ante descriptus embryonis situs vsque ad imminentes partus dolores perduret.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Tertium, quod aliqui fouent, opinionum de genuino foetus in utero situ genus in eo consistit, quod plane indefinitus indereterminatusque embryonis in utero situs vsque ad pariendi tempus statuitur, qui tum demum, vbi partus imminet, vno velut actu ita determinetur atque ordinetur, vt foetus, facie versus os sacrum conuersa, capite orificium vteri occupet internum.

§. XXXIV.

Verum enim vero ab hac quoque opinione complectenda (§. XXXIII.) abstinebimus, sequentibus inducti argumentis. Nempe *primo* saepius numero quotidiana fere experientia, plane contrarium accidisse, euidentissime demonstrauit. *Secundo* nulla idonea ostendi potest ratio, vnde fiat, vt tantum circa partus appropinquantis tempus exiturus foetus situm sibi eligat, ad absoluendum, quod meditatatur, iter reliquis omnibus commodiorem. *Tertio*, testantibus dissectionibus anatomicis, vterus haerens in ipso ovulum arctissime ambit, impeditque adeo, quo minus eiusmodi insignis sensibilisque prioris situs mutatio circa pariendi tempus vnico quasi actu fieri possit. Vltimis enim grauiditatis mensibus, vti iam suo exposuimus loco, vterus, ob liquoris amnii imminutionem, sese magis magisque constringit, quippe priori renifu ex parte sublato. Ergo hinc foetui tantum spatii non relinquitur, quantum, instante partu, ad

ad tam subitaneum requiritur motum, a quo foetus in accommodatissimum ad egressionem ex utero situm velut vno momento vindicetur. *Quarto* denique concipi omnino non potest, qui fiat, ut, si dictus modo situs imminente demum partu dirigeretur atque constitueretur, facies homunculi prodeuntis semper, uti saltem omnes naturales docent partus, ossi matris sacro sit obuersa.

§. XXXV.

Quae cum ita sint, ut omnes hae diuersae de genuino foetus, in utero degentis, situ sententiae, haecenus recensitae (§. XXIX – XXXIV.), suis laborent naevis, & a veritate longius absint: ipsimet dispiciamus, utrum nulla alia ratione, veritatisque magis consentanea, verus atque naturalis embryonis in utero materno situs describi & definiti possit, nec ne?

§. XXXVI.

Quo consilio si omnia, quae in praesenti descriuimus, exquisitè perpendamus, minime a vero aberrare nobis videmur, si cum magna recentiorum Medicorum Anatomicorumque parte adfirmamus, quod vniuersò, quo matrice continetur, tempore foetus capitis sui vertice uteri orificio incumbat, pedibus vero uteri respiciat fundum. Atque ne hic solis aliorum auctoritatibus inniti nos existimes, ecce! potiora sententiae nostrae argumenta. *Primo* ex variorum Auctorum fide dignissimorum disquisitionibus & experimentis nouimus,

E

mus,

mus, foetum in principio, si figuram spectes, ranae iuniori esse simillimum, caputque ostendere maximum, reliquum vero corpus, caudae haud absimile, admodum exiguum atque exile: e quo dein sensim superioresque prodeunt extremitates. At eodem tempore ovum, si foetui conferas, est maximum, copiosissimusque amnii liquor. Porro quoque ex iisdem experimentis compertum est, quod, quo iunior est foetus, eo grauius caput, cum reliquis partibus collatum, deprehendatur, & quod eadem proportio in diuersis incrementi gradibus obseruetur. Tum, si huiusmodi foetum ex funiculo umbilicali suspendas, & aquae immergas, caput perpetuo infimum occupabit locum. Quid ergo causae subest, cur foetui, primis mensibus in liquore amnii libere fluctuanti; alium situm destinemus? Item si tertio, quarto, quinto, sexto, septimoue mense abortiuus aut praematurus forte emittitur foetus, caput plerumque primum prodit. Tandem, vti supra iam indicauimus, ipsum caput mense septimo & octauo, nec raro iam sexto, digitorum exploratione distincte potest internosci.

§. XXXVII.

Extremis denique grauiditatis mensibus orificium vteri internum a mole atque pondere capitis foetus magis efficaciusque dilatatur: ex qua maiori huius orificii distensione fit, vt amnii quoque liquor copiosius deorsum ruat, ambeuntesque propellat membranas. Remittit ergo paullulum
huius

huius liquoris renisus circa vteri fundum, elasticaeque huius partis fibrae, imminuta adeo resistentia, magis magisque se contrahunt, simulque efficaciori vi foetum premunt. Is ergo capite suo, vt maximi ponderis parte, deorsum magis in peluim propellitur, vt & ipsum caput tactui offerat; quod primis mensibus, ob ceruicis vteri crassitiam, neuiquam fieri poterat. Et haec eadem quoque est ratio, cur, quae spuriis grauidarum costis subiacent, spatia, primis mensibus quasi repleta & distenta, posterioribus dein mensibus concidunt & velut inania fiunt.

§. XXXVIII.

Atqui nunc intellecturos vos esse arbitramur, Lectores, quemnam foetui in vtero materno situm genuinum seu naturalem statuamus; nempe eum, quo per vniuersum a conceptione tempus in vtero deorsum pendet. Quem situm etiam vltimis mensibus, quemadmodum supra satis superque exposuimus, experientia, omnium rerum magistra, locupletissime confirmat, foetum scilicet demonstrans, capitis sui vertice orificio vteri interno ita incumbentem, vt faciem habeat ossi matris sacro obuersam. Ad quem naturalem situm foetui constituendum maxime necessarioque interest, vt partim genitalia matris organa, partim ipse foetus legitime decenterque sint conformata. Sicut ubi ergo alius, quam quem descripsimus, embryonis in vtero obseruetur situs, semper ad vitiosam vel partium matris genitalium, vel ipsius foetus,

36 *De genuino Foetus in utero materno situ naturali.*

vel amborum simul, conformationem constitutionemque ratio erit referenda. Quoniam vero, teste crebriori experientia, tam in matre, quam in foetu, plurima eaque diuersa huius generis vitia passim occurrunt, neminem mirari decet, quod varii foetibus frequenter accidant situs, a naturali secedentes.



VIRO
PRAENOBILISSIMO, CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE
DN. GERH. ALB. HVFFELMANN,
SUPREMO IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

IO. ANDREAS WILHELMVS BÜCHNER,

MED. CAND.

ET familiaritatis amicitiaeque leges, & obseruatiae officia impune profecto transire nequirem, CANDIDATE praestantissime, quod si TE, laudis decus summosque in arte salutari honores ambientem, sine aliquo publico conspicuoque amoris mei deditissimique animi testimonio esse dimissurus. Tantum semper oblectamenti ex suauissimo TVO consortio, dum in alma hac Fridericiana, sapientiae sede, ut genuinus assiduusque Aesculapii filius, Musis TE sacraasti, in me redundauit, ut parvus sane dexteritatis meritorumque TVORVM aestimator omnino viderer, nisi exstet, quod TIBI, Parnasso nostro valedicenti, integerrima aliquando amicitiae meae qualia-



qualiacunque studia in memoriam reuocaret, perenne documentum. Ipsum TVVM inaugurale Specimen academicum, quod subacto ac felici ingenii acumine elaborasti, satis superque iam loquitur digna eruditionis TVAE encomia, ut hoc alias dulcissimo officio, in laudes TVAS oratione mea excurrendi, commode queam supersedere. Restat adeo illud tantum, quod amor, quod suprema iubent amicitiae officia, ut prosequar TE votis, ut patrios repetentem penates meae TE comitentur ardentissimae preces. Summus rerum humanarum arbiter, ubicunque terrarum commoraberis, ausibus TVIS clementissime adspiret. Secundet conamina TVA diuina benedictione, ut, quae in proximam salutem TIBI erunt suscipienda, prosperrimis succedant auspiciis. Fac adeo, ut splendidum aliquando nomen TVVM aeternitati tradas, patriaeque decus & aegrotorum certissimum sis euasurus refugium. Vale sospes incolumisque, & amicam mei qualemcunque memoriam in futurum quoque ne deponere velis unquam, summopere oro, rogo & obtestor. Dab. Halae Magdeburgicae, d. XXVIII. April. MDCCLVIII.

SVMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO
DN. GERH. ALB. HVFFELMANN,
AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

ERNEST. CHRISTIAN. EICHNER, MED. CAND.

Cum totius medicinae finis primarius in eo consistat, ut
sanitas corporis humani vel conseruetur, vel restitatur;

E 3

nullum



nullum vero subiectum, in quavis aetate constitutum, immu-
 ne plane sit ab iniuriis variis sanitatem laedentibus: facile
 potest, & infantum curam habere debere medicinam, foetu-
 umque, qua hominum sentiam, quippe tot tantisque aegri-
 tudinibus subiectorum. Et sane, quis tenellis hisce infanti-
 bus succurrere non vellet? Quem eorum pietas non caperet?
 Qui nulla sua culpa, nullis propriis quibusvis vitiis sanam
 & integram sui corporis constitutionem euerterunt; qui ca-
 su tantum, vel incuria & inertia, imo, quod detestandum,
 non raro malevolentia nutricum sanitatis suae iacturam fe-
 cerunt. Ferant alii, maturiori iam iudicio praediti, vitio-
 rum suorum labem. Experiatur syphiliticus & podagricus
 torturam suam, vitae ante actae & immodicorum affectu-
 um pedissequam. Infantibus vero, a vitiorum labe nondum
 infectis, succurratur. Dolendum autem, quod scientia no-
 stra salutaris, licet fastigio suo propior indies propiorque
 facta, nondum ex votis sufficiat omnibus infantum morbis
 persanandis. Dolendum, quod infelix & male sana opinio
 partem Medicinae praegrandem, Chirurgiam scilicet &
 cum illa partem eius non ultimam, artem opinor obstetri-
 ciam, a reliqua medicina auulserit.

Dolenda demum demens illa consuetudo, quae in pluri-
 mis regionibus artem hanc obstetriciam, humano generi adeo
 salutarem, infimae plebeculae, rudi ut plurimum & inertii, ex-
 colendam tradidit. Quot inde enascantur damna, quis est,
 quem fugiat? Quot eo ipso reipublicae misere pereunt ciues
 futuri, qui prouida adhibita cura, scientificis innixa funda-
 mentis, seruari potuissent? Quot puerperae male inde se ha-
 bent, imo morti traduntur acceleratae, quia non circumspice-
 re satis cum illis actum fuit.

Egre.



Egregium itaque suscepisti, nec sine laude profectus es opus, CANDIDATE DOCTISSIME, dum materiam pro the-mate inaugurali explicandam TIBI sumfisti, qua lucem af-fundere conaris arti in tenebris degenti. Verum enim ve-ro cum mea non opus sit laude, siquidem nemo peritorum de-bitam tractationi TVAE laudem detrabere sustinebit; & praeterea instituti mei ratio non permittat, ut uberius di-cendo prosequar oratiunculae huius filum: nihil superest, quam ut ea, quae TIBI, AMICE AESTVMATISSIME, di-cenda habeo, paucis adhuc dicam.

Gratulor scilicet TIBI de summis, quos iam bene meri-tus deportabis, in Medicina honoribus. Gratulor patriae TVAE, TE medico rationali breui gauisurae. Ultimum mox Fridericianae nostrae, almae scientiarum sedi, Vale di-ces. Dices idem amicis TVIS, sub eodem TECUM coelo non natis. Dicas, licet. Vota eorum TE sequentur. Ast ami-citia eorum pectore TVO memori nunquam excidat. In-primis etiam mihi liceat mei memoriam TIBI demandare, qui, ex quo in uberiorem TVI notitiam perueni, haud fua-to TE amaui amore. Vale & mihi faue. Dabam in Fri-dericiana, d. XXVIII. Aprilis, A. MDCCLVIII.

Monfieur

Mon très cher & très honoré Ami,

Ce seroit violer les loix sacrées de l'Amitié, si je voulois garder le silence, au jour, qui va rendre celebres les fruits des études, que vous professés, & qui vous font meriter l'approbation du public. J'ai trop d'estime & d'attention pour vous, que d'être insensible aux justes re-com-



compenses de votre savoir, & aux precieuses marques d'amitié, dont vous m'avez honoré, le peu de tems, que j'ai eu l'honneur d'être familier avec vous. Ce n'est donc que mon devoir, de vous marquer publiquement la joie que j'ai de vous voir defendre votre dissertation avec une facilité & justesse, qui n'est propre qu'à des personnes de votre capacité. J'avois ici bonne occasion de faire l'Eloge de vos merites, si je ne craignois pas de choquer votre modestie; vous connoissez mon coeur, qui est en meme tems trop sincere, pour donner le moindre soupçon d'être tombé en quelque sorte dans la flatterie. Je vous felicite donc de bon coeur, & si le Ciel a la bonté de vous accorder tout ce que je vous souhaite, vous serez sans doute le plus heureux de tous les mortels. Il s'agit enfin de vous quitter, le sort le veut, c'est pourquoi je m'y conforme, etant assuré que votre depart est un moïen trop foible, pour rompre les liens d'amitié qui subsistent entre nous. Je suis sur que vous aurez la bonté de vous resouvenir de tems en tems de moi. Je vous proteste en recompense, que le souvenir de votre chere personne me sera tousjours agreable, qui suis avec une fidelité parfaite

Monsieur


Mon très cher & très honoré Ami

à Halle le 28. d'Avril

1758.

Votre très obeissant serviteur & fidele Ami

G. C. W. ROEMER,
Etud. en Droits, de Cleve.



in med. Teil,

5. 1758.


Halle, Med. Diss., 1758



Reha







4

INAVGVRALIS MEDICA
DE
VINO FOETVS
RO MATERNO
NATVRALI

QVAM
VICIIS SVMMI NVMINIS
ET
TIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
RAESIDE
ELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
A ELIA BVCHNERO

MANI IMPERII NOBILI,
SSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
HIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
MIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
MITE PALATINO CAESAREO,

ADV DOCTORIS
DICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LIBVS RITE CONSEQVENDIS
APRILIS, A. S. R. d^o MCCCLVIII.

REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
ALBERTVS HVFFELMANN
MARCANO-GVESTPHALVS.

EBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

